



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

XII. Fortunæ incommoda fortiter esse ferenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

49 FORTUNÆ INCOMMODA

Græcas quam optime calluerunt. Quare quicumque perfectam rerum cognitionem desiderat, eam non ex rivulis quibusdam, sed ex fontibus ipsis hauriat oportet.

II. *Ab honesto.* Quòd honestum sit Græcæ linguæ studium, ex summo illo dedecore, quod huius ignaris inuritur, colligi potest. Nam & Episcopo, Canonico, Diacono, Presbytero, Monacho, summa ignominia conciliabitur, si nominis sui etymologiam reddere nequiverit.

III. *A jucundo.* Ad eò jucunda & suavis hæc lingua est, ut Poëtæ, teste Fabio, quoties suave carmen aliquod esse voluerunt: id quibusdam Græcis nominibus exornare consueverint.

*In REFUTATIONE franges hanc OBJECTIONEM:* Pleraq; in linguam Latinam conversa sunt. Non enim suavitas illa sermonis, aut proprietas in aliam linguam transferri potest, quin & ornatus illius omnis & decor orationis intereat. *Adde,* quòd non omnia in linguam Latinam conversa sunt, quòd vel mediocriter erudito manifestum est. *Adde,* quòd & lapidibus, & gemmis, & herbis plerumq; sunt indita Græca nomina, & Medicina tota Græcis vocabulis utitur. Quàm verò lingua Latina inops, sterilis, & jejuna sit, indicant rerum descriptiones propè innumeræ, quæ propriis nominibus destitutæ sunt.

CONCLUSIO *conficiatur* adhortatione ad linguæ Græcæ studium.

XII. FORTUNÆ INCOMMODA  
*fortiter esse ferenda.*

*Vide The-  
ma I.*

INITIUM *sumetur à nonnullorum nimia animi dejectione.* qui quovis fortunæ incommodo usq; eò plerumq; percelluntur, ut omni spe abjecta de sua quodammodò salute actum putent.

PROPOSITIO. *Id eò hac oratione fortunæ incom-*

COM-

commoda nō tam deploranda, si adveniant, quam  
forti animo perferenda esse demonstrabo.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS, *Ab honesto.*  
Honestum enim est, & decens quāmaximè ista  
moderatè ferre, quibus quis nequit obistere, cum  
nemo adeo potens sit, qui fortunæ temeritati &  
arbitrio non subjaceat, ut qui modò dives sit, pau-  
per postea non possit effici. Fortiter itaque feren-  
dum, quod mutari non potest, præsertim cum non  
turpe sit cruciari, aut variis premi angoribus, sed  
cruciatu dignum quippiam admittere in malis ha-  
bendum videatur: quod *Socratis* testimonio lice-  
bit confirmare, qui venenum bibiturus, cum uxo-  
rem ejulantem, ac mortem illius innocentissimam  
deplorantem vidisset: *Quin conticescis, inquit, stul-  
ta, nocentemne mori malle? Amplificabis à simili.*  
Ut enim *Naucleri* in gubernanda navi peritria  
non nisi oborta tempestate cognosci potest; ita  
quoque hominis virtus, & animi magnitudo re-  
bus duntaxat adversis cernitur. Difficile liqui-  
dem esse non videtur animum excelsum rebus se-  
cundis præ se ferre; at adversante fortuna eun-  
dum animum vultumque retinere, solus virtute  
præditus potest.

II. LOCUS *ab utili.* Nam plurimorum virtus  
prospero rerum successu consopita, variis tandem  
incommodis excitata, summam sui peperit admi-  
rationem. Hinc *Darius* dicere solitus perhibetur:  
*Rebus se adversis prudentiorem fieri. Et Herculis* glo-  
ria nunquam ita totum orbem pervagata fuisset,  
nisi, ut à viris sapientissimis prudenter factum est,  
ipsi tot monstra, tantique labores, tanquam virtu-  
tis materia, objecti fuissent. Nec aliud *Vlyssi* no-  
men immortale comparavit, quā tot malorum,  
quibus decennio fuit affectus, tolerantia. Atque,  
ne in Ethnicis solum fabulosisque Exemplis con-  
sistat oratio, licebit & *D. Laurentium, Catharinam,*

*Barbaram*, aliosque ejusmodi Christi Martyres in medium proferre, quos summis affecerunt laudibus dira illa, & ab immanissimis tortoribus excogitata supplicia.

PERORATIO *constabit adhortatione ad fortunam incommoda excelsio animo toleranda.*

XIII. CHRISTIANVM ADOLESCENTEM à mendacio sibi temperare debere.

EXORDIUM à genere, operæ pretium est vitæ turpia reprehendere, propositisq; eorum penis, omnes ab iis deterrere.

*Mendacium proprie diabolicum vitium, ideo maxime cavendum.*

PROPOSITIO: Cùm igitur mentiendi libidinem experiamur in multis, nec ullum sit vitium in quod juvenus hoc tempore ita propendeat, atq; in mendacium: præterire te minimè posses, quin impiam illam mentiendi libertatem nervolis aliquot rationibus retundas.

*Ioan. 8. v. 44.*

CONFIRM. I. LOCUS à Turpitudine. Quem admodum enim veraces filii sunt Dei, qui est ipsa veritas, & odit mendacium; ita mendaces filii sunt Diaboli, qui pater est mendacii, seu auctor primus & inventor, qui quodammodo illud peperit, cum enim Evæ in Paradiso dixit: *Eritis sicut Diis*, mentitus est, hinc cum Christus ait: *cùm Diabolus loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, asserit Diabolum, cùm mentitur, propria uti inventionem, eò quòd nemo ipsum mentiri docuit; ipse verò primus docuit alios quicumq; mentiuntur. Sunt autem mendaces filii diaboli, non natura, ut loquitur Epiph. sed imitatione: vel, ut Ambros. non carnis successione, sed criminis. B. Cæsarius (Hom. 16.) vult mendacem à Diabolo possideri. Quod omnis mendax, inquit, sine maligno Spiritu esse non possit, scriptura testis est: *Perdes, inquit, omnes qui loquuntur mendacium.* Et: *Os quod mentitur, occidit animam.* Et in libro Regum

*Gen. 3. v. 5.  
Ioan. 8.*

*Vide octavam meam strenam spiritualem.*

*Ier. 38. & 40.  
in Luc. c. 4.*

*Psal. 5. v. 7.  
Sap. 1. v. 11.  
3. Reg. 22. 24*